Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35425
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Orat ne pignoracia exem. vetula mulier deus ihesu quod est verum. Genes et rogabat dominum dicentes. Benignissime deus. vetula senis misterium hoc ut credat et non perdat laborem suum Exaudivit autem dominus illos. et completa ebdomada venerunt die dominico ad ecclesiam. Apti sunt autem intellectuales oculi eorum et quando positus est panis super altare. videbatur eis tamquam puerulus ibi sedet. Et cum extendisset presbiter manum ut frangeret panem angelus domini in manu habens cultellum ymolavit puerum sanguinem eius fundens. Quod cum vidisset senex pertimuit et exclamavit. Credo domine quod panis qui in altari ponitur corpus tuum est et calix sanguis tuus est. et statim facta est caro illa in manu eius panis et sumpsit eum secundum gracias agens. Dixerat quoque ei senes. Quia scit deus. quod humana natura non potest vesci carnibus crudis propterea transformavit corpus suum in panem et sanguinem in vinum.

De presbitero qui xpm in forma speciosissimi pueri vidit

Fuit quidam presbiter valde religiosus sic legitur in gestis anglorum pletgils nomine qui cepit rogare ut sibi panderet naturam corporis et sanguinis xpi latitantem sub forma panis et vini. Non tamen quod de xpi corpore dubius esset. sed quod ut sic xpi carnem cerneret. Quadam autem die missarum sollempnia celebrans. flexis genibus dixit. Deprecor te omnipotens deus pande michi exiguo in misterio naturam corporis xpi ut liceat michi scilicet eum prospicere presentem corporeo visu in forma pueri. quem sinus matris tulit vagientem et nunc manibus contrectare. Cui dum talia depreca[re]tur. audivit vocem sibi dicentem. Surge propere si xpm placet vide. Tunc venandus presbiter panidg volum cogens vidit super aram patris filium. quem virgo in utero et symeon in ulnis portavit. Facta quoque est iterum ad eum vox dicens. Quia xpm videre tibi placuit. Quem prius absconsum videbas sub tegmine panis. Conspicua vba tanes semper sacrare solebas nunc oculis inspice. attrectans manibus. Tunc sacerdos celesti munere fretus. quod mirum dictu est ulnis trementibus puerum accepit et pertus xpi pectori suo coniunxit. crebrius in amplexus dans oscula deo et suis labiis pressit pia labia xpi. Quibus exactis preclara filii dei membra restituit in specie altaris. Tunc rursus se prosternens dominum deprecatus est ut dignaretur iterum verti in pristina forma. quod protinus impetravit. O vere miram et ineffabilem xpi karitatem quod ob omnis desiderium ita se probe dignatus est visibile. quatinus et veritas patesceret in omnibus magis fides firmaretur ex miraculo

Quod corpus xpi tempestates tollit

In Aquilegia fuit quidam venandus presbiter Florentinus nomine. vir plenus fide. Quadam autem vice dum demones humani generis hostes deo permittente aera conturbassent. facta est nubium horribilis disposicio et tam vehemens tamque valida clamorum ventorumque collisio. ut inde gigneretur tonitrua terribilia mugencia. indeque procedentes coruscaciones et fulgura. Inde quoque flamma vorax exiret que non solum segetes oliva vineas et edificia predicte civitatis et adiacentis regionis combussit immo lapides redegit in cineres. Lapides vero grandinis tam magni fuerunt ut ovorum excederent quantitatem. Non nulli quoque hanc commotionem videntes putabant diem ulcionis venisse. et incedentes velut amentes absconderunt se in speluncis a facie tempestatis. Tunc prefatus sacerdos corpus domini accepit et sub divo stans grandini et tempestati opposuit Magna quoque voce clamavit. O demones demones huius aeris incentores sustinete et videte. adest conditor omnium seculorum. iudex vester et redemptor meus. Res mira miraculique veneranda. mox ut presbiter talia clamavit. Auditus est ab omnibus rugitus strepitus et ululatus demonum fugiencium. et in aere vociferancium Ve ve nobis. adest enim filius marie. pereat. pereat qui eum adduxit. quia viam nocendi nobis abstulit. His dictis protinus illa malignancium turba disparuit